MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80521-6

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

HAUSSLEITER,
JOHANNES

TITLE:

DE VERSIONIBUS
PASTORIS HERMAE LATINIS

PLACE:

ERLANGAE

DATE:

1884

Master Negative #

92-80521-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88H44
DZ8
v.1

Haussleiter, Johannes, 1851-
De versionibus Pastoris Hermae Latinis, pars prior, dissertatio inauguralis quam ... scripsit Joannes Haussleiter ... Erlangae, typis Jungii, 1884.
32 p. [2] l. 22½ cm.

Thesis, Erlangen

Volume of pamphlets

141053

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-14-92 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Hermas Pastor } (text cit.)
no 3
8 RH 74
II 2

DE VERSIONIBUS PASTORIS HERMAE LATINIS.

PARS PRIOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM ORDINE ERLANGENSI
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

JOANNES HAUSSLEITER
NORDLINGENSIS.

ERLANGAE.
TYPIS JUNGII ET FILII.
MDCCCLXXXIV.

Praefatio.

Versiones pastoris Hermae latinas magno esse momento ad textum huius libri graecum melius restituendum haud difficile est demonstrare. Nam duo qui supersunt codices graeci nostro demum saeculo reperti (dico codicem Sinaiticum et Lipsiensem) et mendis scripturae corrupti sunt lacunisque aliunde explendis et clausula libri carent, quae nisi versionibus suppleretur, omnino deesset. Itaque ut magnum esse usum versionum certum est, unde haud raro, quae Hermas scripserit, optime discimus, ita quemadmodum utraque ad corrigendum textum graecum utendum sit aut quae ratio inter eas intercedat, parum adhuc liquet. Atque haec quaestionis pars ab iis, qui pastori Hermae edendo operam dederunt, paene praetermissa digna mihi esse videtur, in quam diligentius inquiramus.

Sed priusquam rem ipsam aggrediar, nonnulla de versionibus illis praemittenda esse puto, ut qua de causa altera vulgata, altera palatina nominetur, intellegi possit. Ac vulgata quidem ea versio est, quae ab antiquissimis temporibus usque ad hoc saeculum in ecclesia vulgo innotuit atque medio quod dicunt aevo vero pastoris textu amisso sola, ne liber ille omnino oblivione obrueretur, obstitit; cuius notitia quam late quasi vagata sit, documento sunt codices qui nunc exstant plus viginti, numero magis quam integritate conspicui. Ea quantum absit ut a librariis sexcenties mutata in pristinam atque veram formam restituta sit, mox videbimus. Optimam eius adhuc editio-

nem praebuit Adolphus Hilgenfeld (Hermae pastor. Veterem latinam interpretationem e codicibus edidit A. Hilgenfeld. Lipsiae 1873); quam editionem ad hanc disputationem adhibuimus.

Altera autem versio, quae cum uno codice palatino (150 saec. XIV) ad memoriam nostram pervenerit, palatina appellatur, hoc demum saeculo in medium prolata est ab Alberto Dresselio anno post quam Rudolphus Anger Hermae pastorem primum graece ediderat (Dressel, patrum apostolicorum opera. Lipsiae 1857). Eam doctissimus ille vir a versione vulgata centies in melius declinare ambiguisque in casibus fere semper praestantiorem esse iudicavit. Quod iudicium, quamquam promulgatum tantum, non probatum est a principe editore, tamen sunt qui repetant neque testimonia neglecta addere contendant.

Versionis autem palatinae non utar editione Dresseliana neque priore neque posteriore (ed. altera Lipsiae 1863), sed recentiore illa, quam adornaverunt Oscar de Gebhardt et Adolfus Harnack (Patrum apostolicorum opera fasciculus III; alter titulus est: Hermae pastor | graece | addita versione latina recentiore | e codice palatino | recensuerunt et illustraverunt | Oscar de Gebhardt et Adolfus Harnack. Lipsiae 1877). Hi editores compluribus locis Dresselii textum correxerunt codicisque scripturam restituerunt ab illo immerito spretam. Ab Hermanno Roenschio enim, viro doctissimo, cuius liber qui inscribitur „Itala und Vulgata, das Sprachidiom der urchristlichen Itala und der kath. Vulgata. 2. Aufl. Marburg 1875“ mirum quantum profuit ad sermonem scriptorum ecclesiasticorum melius intellegendum, didicerant retinendas esse in hoc textu formas quales sunt: ‘agebunt’ p. 13, 6; ‘custodibo’ p. 89, 5; ‘haec’ pro hae = Nom. Plur. Fem. p. 25, 13 et saepius; quare etiam p. 99, 8 cum codice scribendum est: ‘haec’ autem malae operae. Iidem, cum animum non inducerent ea, quae ab usu scriptorum optimorum recedunt, ad unam certam quandam rationem revocare et quae esset natura huius tam singularis elocutionis, diligentius exquirere, saepenumero sine iusta causa scripturam codicis neglexerunt atque coniecturas supposuerunt omnino reiciendas. Quae cum ita sint, non solum versio vulgata sed etiam palatina novum desiderat editorem, qui ut brevi exsistat, cum multis de causis tum ob hanc rem est quod magnopere optem. Institueram suadentibus viris doctissimis et maxime reverendis, Eduardo Woelfflino et Bernhardo Dombarto, quae in versione palatina sermonis reperirentur proprietates, attentius perquirere atque quibus ex fontibus proprium dicendi genus ortum esse suspicandum esset, docere atque demonstrare. Quod opus inceptum ne perficerem neve publici iuris facerem, id ipsum mihi impedimento erat, quod fundamentum, quo nititur tota quaestio, parum firmum esse videbatur, veraque lectio quae esset, in permultis locis examinandum atque perpendendum erat. Eadem de causa de Tertulliani genere dicendi nondum perfecte quaeri posse inter homines earum rerum gnaros constat. Atque ut huius tam gravis scriptoris, ita versionis palatinae editio requiritur correctior.

Redeo nunc eo, unde digressus sum. Nam quae de hac quam nunc ingressurus sum disputatione supra dicta sunt, non solum ad textum graecum pertinent sed etiam ad ipsas versiones in rectiorem statum redigendas. Ad eum enim finem id multum valere mihi videtur, ut num interpres alter alterum aut uter utrum secutus atque imitatus sit in suo opere perficiendo, melius quam adhuc cognoscatur et certissimis exemplis probetur. De hac duarum versionum condicione quae dubia hodie et incomperta sunt, si mihi contigerit, ut explorem et confirmem, spero fore ut et ii, qui versiones denuo edendas suscipient, et si quis dicendi generi utriusque earum proprio describendo operam navabit, aliquid inde fructus et emolumenti capiant. Atque iam omnia, quae opus erant, praefati rem ipsam aggrediamur.

§ 1. Unde haec disputatio proficiscatur.

Quae ratio intercedat inter pastoris Hermae versiones, inter vulgatam, quam priorem esse putant, et inter palatinam, quam posteriorem dicunt, si diligenter quaesituri sumus, optime ab ea libri parte incipere nobis videmur, ubi interpretationes illae altera alterius simillimae sunt minimeque inter se differunt. Est autem ea pars, quae „visiones“ et „mandata“ sequitur, cui nomen est „similitudines“. Ex decem autem similitudinibus eligo quintam, quippe quae maxime idonea sit ad eam rem, quam spectamus. Ibi quam cognatae sint inter se versiones, ipsum primi capitis exordium documento est.

Videamus primum v. palatinam. In ea legimus (p. 141):

Cum ieiunarem et sederem in monte quodam gratiasque deo agerem ob ea, quae fecerat mihi, video pastorem illum sedentem iuxta me. Et ait mihi: Quid tam mane huc venisti? Quoniam, inquam, domine, stationem habeo.

Cum his verbis congruit v. vulgata (p. 76), praeterquam quod pro iis, quae litteris diductis notavi, posita sunt haec verba: primum pro coniunctione 'cum' alii codices 'dum' praebent, alii 'cum' retinent. Deinde 'et gratias agerem deo' sive 'et agerem gratias deo' legimus coniunctione 'et' pro 'que' adiecta. Tum maior differentia apparet in iis verbis, quibus graeca illa vertuntur: „περὶ πάντων ὧν ἐποίησε μετ' ἐμοῦ". Nam ex consuetudine sermonis, quam saepius reperimus (cf. simil. 6, 1, 1), haec in v. vulgata ita sonant: „pro omnibus, quae fecerat mecum"; quibus in verbis et 'omnibus' et 'mecum' textui graeco plane respondent. Postremo pro 'ait' in v. vulgata collocata sunt vocabula 'haec dicentem, quod verbum 'dicentem' ipsum quoque ad exemplar graecum maxime se applicat (*καὶ λέγοντα*) et ante 'quoniam' additum est verbum 'respondi'. Id enim supplemento esse debet formulae 'inquam', quae deest; quam cum v. palatina praebeat, hoc in loco optime textum graecum imitatur, ubi verbum „φημί" enuntiationi inseritur.

Haec elocutionis discrimina quamvis magni facias, tamen, quam arto propinquitatis vinculo versiones inter se coniunctae sint, satis perspicue apparet. Nam et eadem verborum copia in utraque versione adhibetur et vocabula pari paene modo struuntur, ita ut verba „τὸν ποιμένα" in una et altera vertantur vocabulis bis aeque positis: pastorem illum. Sed illud unum moneo: utra versio textum graecum accuratius exprimat, si quaeras, v. vulgatam ter (in locutionibus 'pro omnibus', mecum', 'dicentem') propius ad exemplar accedere, v. palatinam semel (in verbo 'inquam') hac fidei laude excellere reperies. Atque his similia in omnibus similitudinis quintae capitibus observantur.

§ 2. In quarto similitudinis quintae capite quae ratio v. palatinae sit cum v. vulgata et utrique earum cum textu graeco.

Ut mediam in rem intremus: commodissimum esse duco in uno capite versiones illas inter se et cum exemplari graeco comparare. Itaque nunc quartum simil. V. caput et graece et

latine ita proponam, ut in prima versuum serie v. palatinam, in altera textum graecum, in tertia statuam v. vulgatam. Atque quo facilius ea, de quibus quaeritur, intellegantur, non solum iis locis, ubi versiones inter se discrepant, litterae diducentur, sed etiam pinguius exprimentur eo consilio, ut, utra versio cum exemplo graeco magis conveniat, ipsis litteris indicetur.

Priusquam autem incipiam appendicem interpretari, quae uno in conspectu et versionum et textus mutuam docet condicionem atque idonea est, ad quam ea, quae sequentur, referam, nonnullas notas criticas praemittam in ipsa appendice numeris a primo ad septimum signatas. —

1) v. pal.: nihil omnino debebis. Ita legendum esse pro 'debetis' alibi demonstravi (cf. „Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie" von Hilgenfeld XXVI 3 p. 353). Satis est comparavisse mand. 12, 2, 2, ubi 'debebis abstinere' respondet Graecorum tempori praesenti '*ἀπέχεσθαι δεῖ*' — et mand. 5, 2, 8, quo in loco 'suadebo tibi' nihil aliud significat nisi Germanorum „ich rate dir".

2)—4) v. vulg.: 'videro' illa — cum editore principe, Fabro Stapulensi, et textu vulgato, qui Cotelerio cum Dresselio communis est; 'quidnam fuerint' cum ed. principe; 'frustra audiero' cum t. vulgato, quamquam contra dicit Hilgenfeldius, in textum recipiendum esse putavi. Nam quantum valeat ad rem criticam consensus graecus, postea videbimus; ex 'fuerint' autem et 'fuerant' et 'sint', aliorum codicum lectiones, fluxisse videntur.

5) v. vulg.: 'sine intermissione tribuet'. Cod. manuscripti praebent falso 'tribuere'. Eorum scribae quod obliti sunt saepius in hac versione enuntiationis initium coniunctione carere, id quod bis in hoc capite invenimus (§ 2 et § 3; v. pal.: et = *δέ*), non putaverunt his verbis: „cum sit dominus etc." aliquid novi posse incipere, eaque omnia cum verbis praecedentibus coniunxerunt; quamobrem, qua erant animi levitate: 'tribuet' deleverunt et infinitivum 'tribuere' scripserunt.

6) v. vulg.: 'et loqueris mihi sodes'. — Hic locus ipse quoque est testis, quam corrupta sit huius versionis traditio. Nam alii codices, quibus usus est editor princeps, exhibent 'cum ades', alii 'ades' vel 'audes'. Illud autem 'cum ades' corruptum locum sanandi causa fictum esse videtur; propius ergo ad verum accedunt 'ades', cod. Dresd. et Lambeth. scriptura, et 'audes', cod. Vat. lectio. Hoc 'ades' et 'audes' vel 'odes' (nam homines

vulgari sermone usi pro 'au' saepissime 'o' pronuntiabant), ut ex odes emanavisse, ita pro eo 'sodes' corrigendum esse putamus; quam dicendi formulam et imperativis additam et interdum in aliis iuncturis adhibitam esse (= „gefälligst") in vulgus notum est.

7) 'ἵνα μοι δηλώσῃ' Gebhardtius cum scribat δηλωθῇ adnotat idem versiones latinas 'δηλώσῃ' expressisse, sed vix ita legisse. At quamobrem expresserint, si non legerint, difficile est intellectu. Itaque assentior ego quidem Guil. Hollenbergio, qui in libro quem scripsit de „Hermae pastoris codice Lipsiensi" (Berolini 1856) p. 19 solum cod. Lamb. confirmat legisse δηλωθῇ, ceteros δηλώσῃ et id, si quis ipsum consulat, rectius.

Sed haec hactenus. Venio nunc ad interpretationem, quae reliqua est, appendicis emendatae.

Atque hoc quidem extra litem esse iudicaverim, versiones huius capitis simillimam praebere speciem, vix ut congruentiores inter se esse possint, si duarum versionum condicionem, non unius eiusque originalis interpretationis varietates teneas. Neque enim solum eadem verba et eandem vocabulorum compositionem reperimus sed etiam eiusmodi consensum, qui non potest fortuitus dici, ut verbum δηλοῦν initio utraque versione vocabulo 'explanare', in postremo capite verbo 'demonstrare' vertatur. Neque vero opus mihi esse videtur in ea re diutius morari. Certum est alterum interpretem alterius libello usum esse; dubium, uter utrius.

Id quod adhuc incertum est, ut explanemus atque illustremus, primum, quae diversa inter se versiones in hoc loco habeant, quaerendum mihi esse videtur. In hac quaestione nonnulla omitto. Nam quod initio capitis 'itaque' vel 'et' positum est, quod in altera versione legimus 'dominoque et vinea', in altera 'et domino ac vinea', quod alia occurrunt, quae ad diversum aut verborum aut enuntiationum nexum et positionem pertinent, quod v. vulgata sexies coniunctionem καί vocabulo 'et' vertendo pilo tenui accuratius, ut ita dicam, quam v. palatina coniunctione 'que' textum exprimat (cf. et domino, et herbis, et de amicis, et omnem similitudinem exolvit, et pigri ad orandum, petam et interrogem), ea omnia minoris ad ipsam quae inquiritur rem momenti esse arbitror, quam ut talia perscrutando tempus teram.

At dignus est, qui memoretur, usus synonymorum, quae eidem locutioni graecae respondere videmus. Sic in paragrapho quarta dativo πᾶσι in v. pal. par est dativus omnibus, in v. vulg. cunctis, et in eodem loco ὁ κύριος πολυεύσπλαγχνος illic appellatur dominus profusae, hic profundae bonitatis. Eiusmodi discrimina si plane observentur, quoniam in diversas imperii Romani provincias sermonisque in iis proprietates animum convertunt, ubi aut quibus temporibus versiones scriptae sint, fortasse poterunt indicio esse. Nunc, quam mihi provinciam vocabulum 'profusus' pro 'profundus' positum prodere videatur, praetereo.

Plurimis autem in exemplis versionum differentiam inde ortam esse cognoscimus, quod textus graeci perfectam effigiem aut de industria exprimi aut neglegenter omitti apparet. Nam utramque versionem ex ipso textu fluxisse ad cumque referendam esse pro certo putamus neque fieri potest, ut altera versio alterius correctio quaedam non adhibito textu graeco existimanda sit. Itaque diligenter est videndum, utra earum quibus in locis alteram imitatione exemplaris graeci interpretisque fide superet atque vincat. Id si inquiremus, quae in utraque versione reppererimus, ea magnopere inter se discrepare apparebit.

Ut a versione palatina incipiamus: ter (ineunte paragrapho altera, tertia, quarta) coniunctio δέ vocabulis et, et, autem redditur, v. vulgata sine ulla coniunctione pergit. Quam rem non minus ad syntaxis rationem in duabus versionibus diversam quam ad accuratam exemplaris graeci interpretationem pertinere facile intellegitur. Praeoptat enim v. vulgata id quod grammatici asyndeton vocant, duoque exempla a primo capite simil. VI. petere licet (§ 2 et § 5). Neque longe aliter res se habet de pronominibus personalibus. Repetit v. palatina sicut textus graecus post locutionem 'a te petam' (in § 5) pronomen pergitque vertere: 'teque interrogem'. Quod pronomen v. vulgata et hoc loco omittit et (in § 2) dativum mihi (= μοι), quem v. altera in his verbis 'quas mihi proposueris' offert. Haec versio quantopere studeat pronominibus personalibus, inde patet, quod (in § 5) λαλεῖς addito pronomine verbis 'loqueris tu' vertitur. Ibidem 'mecum' melius quam 'mihi' textui respondere et dubium esse, v. vulgata posueritne (in § 2) ipsa quoque pronomen 'tibi', quod in codicibus quos habemus

corruptis post verbum 'demonstrabitur' collocatum est, in eodem quo v. palatina loco atque enuntiationi secundariae adiunxerit ('si oportuerit demonstrari tibi'), docendum mihi esse videtur. Accedit eo ut articulum definitum, qui quam multiplici modo quotiens in v. palatina vertatur, postea videbimus, semel in hac sola in sermonem latinum translatum esse dicam (in § 1 *ἐκ τοῦ ἀμπελῶνος* = de eadem vinea). Neque quidquam iam reliquum est de pronominibus.

Restant autem tres loci, in quibus interpres v. palatinae munere suo diligentius functus esse videtur: unus, cum in § 5 vocativum 'domine' (*κύριε*), quem v. vulgata omnino neglexit, in primo orationis rectae loco collocat; alter, cum in § 2 tempus graecum constanter tenet verbaque: *μὴ νοῶν τί ἐστιν* his vocabulis exprimit: 'quia non intelligo, quidnam sint'; quo loco v. vulgata, quod futurum exactum in enuntiatione primaria adhibuit, idem post coniunctionem 'si' retinet ('si non intellexero') perfectique coniunctivum totum verborum ambitum facit concludentem ('quidnam fuerint'). Tertius locus ex diversa textus lectione pendet. Nam (§ 3) 'quae dicuntur in similitudinibus' ad verbum reddunt vocabula *τὰ λεγόμενα διὰ παραβολῶν*. Quod autem apud interpretem v. vulgatae legimus: 'quae quaestionem ferunt' (manuscr. Angl.) vel 'quae inquisitione egent' (ed. princeps), eum hoc loco aut mutilo usum esse archetypo aut haec fere legisse: *τὰ δεόμενα διαπονήσεων*, cum Hollenbergio (p. 19) suspicor.

Hoc toto orbe locorum circumscripto quam sententiam feramus de huius interpretis studio exemplar graecum accurate vertendi? Quotiens egressus est ex auctoris, si quem habuit quem sequeretur, vestigiis, quibus eum tantum non semper institisse supra vidimus, totiens eo diligentius vestigia textus sequitur? Minime. Interdum ille quidem relicta versione priore, si v. vulgata, id quod plerique censent, vere prior existimanda est, maiorem exemplaris graeci similitudinem ita consecutus est, ut nonnulla, quae ad syntaxin fere tota pertinent, ei accommodaret, multo autem saepius et id in locis gravioribus maiorisque momenti quam invenerat expressam similitudinem, eam exstinxit atque delevit, ut huius tam mirae inconstantiae causam reperias nullam.

At quanta quantoque maior in iis locis, ubi versiones inter se differunt, v. vulgatae est imitatio exemplaris graeci! Id

quanta cura atque sollicitudine factum sit, ut dubitantibus persuadeam, non indico numerum eiusmodi locorum maiorem, ubi v. vulgata alteri versioni ea quam quaerimus subtilitate praestat sed quantum valeant aut quanti aestimandi sint hi loci, nunc sum examinaturus; quo in examine v. vulgatam post v. palatinam scriptam esse et saepenumero ab huius auctor[illegible]te discessisse et magis ad graeci auctoris exemplar se applicavisse interim conicimus, id quod vel propterea facere licet, quia haec, coniectura extra ipsius examinis quaestionem esse videtur.

Id si tenemus, auctor v. vulgatae (in § 1), ut propius ad textum accederet, mutatis v. palatinae verbis 'qui herbas extraxerat de eadem vinea' verba '*τῶν βοτανῶν τῶν ἐκτετιλμένων ἐκ τοῦ ἀμπελῶνος*' transtulit in illa 'herbis, quae extractae de vinea erant'. Deinde ut praeteream illud 'dico ei' (= *λέγω αὐτῷ*) ante vocativum 'Domine' in § 2 interpositum, quod non ab interprete sed ab scriba codicis palatini praetermissum esse videtur: pro verbis 'et dixit mihi' in § 3 et pro formula 'tunc dixi illi' in § 5, ut etiam in rebus levioribus textus imaginem servaret, et 'respondit mihi rursus dicens' (= *ὁ δὲ πάλιν ἀπεκρίθη μοι λέγων*) et 'dico ei' (= *λέγω αὐτῷ*) substituendum sibi esse censuit. Item verba '*μάτην ἔσομαι ἑωρακὼς αὐτά*' (in § 2) licentius ei translata esse videbantur. Itaque scripsit non 'frustra erunt', sed 'frustra videro illa', atque ad eam vertendi diligentiam progressus est, ut (in § 3) compositum '*ἐπιλύει*' composito 'exolvit' reddere mallet (v. pal.: solvit). Eadem de causa summa cum religione bis supplevit verba, quae alter interpres supervacanea esse haud scio an putaverit (in § 2: 'proposueris et non absolveris' et in § 5: 'si . . . viderem vel audirem'). Prorsus vero aegre tulit, quanta ille libidine interdum mutuam enuntiatorum graecorum condicionem atque colligationem transmutavisset. Quare (in § 2) enuntiata: 'quaecunque ostenderis mihi, si non demonstraveris' non potuit non ita corrigere ut scriberet: 'quaecunque ostenderis mihi nec demonstraveris' (=*καὶ μὴ δηλώσῃς*). Idem participia inter se coniunctione *καί* nexa (in § 4: *ἐνδεδυναμωμένος καὶ εἰληφὼς*) accuratius quam alter expressit versione: 'qui confirmatus es et accepisti' (v. pal.: qui confirmatus . . accepisti). Postremo, ut non dicam de lectione incerta 'iam cur' (in § 4), ubi, quidquid legimus, certe duo verba duobus *διὰ τί* respondent, enuntiatum (in § 2): 'similitudines, quas mihi pro-

posueris' secundum textus normam transiit in illud: 'similitudines, si quas proposueris'. Quo in loco non solum verba quae sequuntur, 'et non absolveris' falso omissa addita esse supra diximus, sed etiam quantopere v. vulgata pendeat ex palatina, probe potest intellegi. Haec enim nisi intercederet, pronomen 'quas' haud facile quid sibi vellet, sentires. Nunc autem scimus hunc interpretem pro anxietate sua, ut coniunctionem ἐάν exprimeret, verbis 'quas mihi proposueris' coniunctionem 'si' adiunxisse; quo factum est, ut 'quas' partes pronominis indefiniti subiret neque textus exemplo neque perspicuitatis ratione delatas.

Eo progressi si, quae repperimus, comparamus, videmus et v. vulgatam, si versionis accurationem quaeras, in huius capitis tam angusto gyro undecies laudem maioris diligentiae mereri et v. palatinam, si itidem exempla leviora neglexeris, bis vel ter hoc nomine laudandam esse [1]). Unde licet concludere, quod assumptis iis, quae p. 8 et 9 praemisi, tertium huius argumentationis locum occupat: ut certum est et alterum interpretem alterius opusculo usum esse et utrumque ipsum textum graecum respexisse, ita auctorem versionis vulgatae multo magis quam alterum id spectavisse, ut accuratissime interpretaretur et verbum pro verbo redderet.

Id si verum est, nonne sua sponte sequi videtur, id quod in quarta thesi colloco, ut harum versionum palatinam priorem, vulgatam posteriorem esse putandum sit, quoniam fieri non potest, ut duarum versionum, quae miram quandam similitudinis speciem exhibent, posterior in iis locis, ubi ab altera differt, non solum eam sed etiam textum graecum fugiat atque studiose evitet? Ita autem rem se habituram esse, si v. palatina posterior esset, quisquam negabit? Neminem puto, si quidem omni ex parte, quo in statu res sit, consideraverit; attamen operae pretium est perspicue ostendere, quantis ea quae adhuc placuit opinio difficultatibus implicetur.

Fac sane nimis incertum esse, quod nos quidem statuimus; finge vulgatam esse versionem superiorem. Quae est igitur condicio v. palatinae? Nonne illam velut recoxit atque eandem

1) In utraque versione quos dico locos asteriscis notavi, et id semel explicatione loci nondum praemissa. Dico locum v. vulg. (in § 3): in praecordiis suis = ἑαυτοῦ ἐν τῇ καρδίᾳ.

quam dicunt cantilenam repetiit? Repetiit vero; nam interdum eam ita imitatur, ut paene ad verbum transscribat. At dum id agit, repente ab ea deflectit. Qua de causa? An quo propius ad graecum textum adveniat? Minime vero. In ipsis iis locis peius cane et angue exemplar vitat. Scilicet libertatis probandae causa declinat, quoniam interpres is esse videtur, qui sua ipse vestigia persequi malit. Quid? Sua vestigia? Nonne proximo temporis momento in alterius vestigiis eo diligentius insistit? Iterum atque iterum quaero, quare deflexerit. Quid? quod denuo est aberraturus. O hominem inconstantem variaeque libidini servientem! Si tanta usus est licentia, desino quaerere; an ullam rationem esse putamus libidinis? Sin minus, decet accusare eos, qui tanto vitio istum adsperserunt.

At tempus est partes mutare. Fac igitur palatinam esse versionem priorem. Haec qualis sit iudicanda si interrogas, interpres liberius munere suo functus est atque interdum satis habuit sensum, non verba eddidisse. Ob id ipsum postea nova versior desiderabatur atque denuo versus est pastor Hermae. Huius versionis auctor, si non iussus erat accuratius textum graecum exprimere, certe ita expressit, ut multo magis naturam exemplaris respiceret atque reddere studeret. Neque vero parvi aestimavit alterius opusculum. Utebatur enim doctrina illius versionis eamque, qua erat anxietate animi, libenter secutus est. Neque tamen servilem in modum. Nam etiam in iis libri partibus, ubi, quantum vidimus, fructum cepit quam maximum versionis prioris, nonnunquam non dubitat ab ea digredi, dummodo hac differentia commutet maiorem textus graeci similitudinem. Quo fit, ut tanto consilio atque ratione eum ab altera versione declinavisse dicamus, quanta libidine et licentia illum, si deflexit, usum esse supra vidimus.

Quae cum ita sint, utram coniecturam potiorem esse arbitrabimur? Libidini cedamus an rationi? Quoniam neque illam opinionem neque hanc veram esse tanta, quantae mathematici student, subtilitate demonstrari potest, nonne licet verisimiliorem pro vera ducere? Ducerem, inquies, si intellegerem; at angustius posuisti fundamentum, quam ut firme exstrueres aedificium. Quasi vero aedificium condere velim. Claudicat, dico, hoc simile. Neque enim sermonis natura quidquam commune habet cum saxo; sed ut ex ungue leo cernitur, ita ex compositione partis cuiusdam, qualis sit elocutionis universa ratio, poterit

cognosci. Itaque non opus est quam plurima, sed quam accuratissime inquirere; neque quod statui, num aliunde quoque peti possit, nunc quaeram, sed num liceat in aliis locis eius veritatem spectare, in eo est ut explorem [2]).

§ 3. Num reliqua similitudinis quintae capita testimonio suo confirment versionem palatinam esse priorem.

Ut verum indagemus, de testibus, quos producimus, ita debemus quaerere, ut omnia, quae pronuntiaverint, et quae pro causa huius quasi clientis (dico eam opinionem, cuius nos patrocinium suscepimus) et quae contra eam loquentur, pariter respiciamus. Primum igitur est de verborum copia, sed dupliciter, tum pari ratione de enuntiatorum compositione inquirendum.

Et verba quidem in his quoque capitibus fere eadem esse utrique versioni, si diligenter comparaveris, facile intelleges. Itaque si diversa verba occurrunt, quae sit causa eius rei, est indagandum. Quae autem causa crebrior inveniri poterit quam assimulatio textus graeci? Utra autem versio exemplar accuratius expresserit, quis dubitet? Atque statim sequentur complures loci, qui v. vulgatae laudem maioris diligentiae tribuunt; in quibus locis enumerandis eodem, quo antea, scripturae discrimine utar.

1) Cap. 1, 5.

v. pal.: nullum admiseris desiderium nocens animae tuae.
καὶ μηδεμία ἐπιθυμία πονηρὰ ἀναβήτω ἐν τῇ καρδίᾳ σου.
v. vulg.: **neque** admiseris desiderium nocens **in animo tuo.**

---

2) Priusquam huic capiti finem faciam, reliquum est ut doceam ea, quae in textu graeco appendici inserto diductis litteris leguntur, neque ab interprete v. palatinae neque a v. vulgatae auctore translata esse; quibus ex locis maxime mireris (in § 1) deesse versionem verborum '*καὶ τῶν χαράκων*'. Quare Hollenb. (p. 19) 'de palis' (melius: et palis) hoc loco interponi voluit, praesertim cum cap. 5 recte pali commemorarentur. De ipsis versionibus addo articulum definitum graecum ter versum esse et id bis in utraque versione (in § 1: similitudinem 'illam' vel 'illam s.' et in § 4: 'ab illo venerabili nuntio'), semel in v. palatina sola (in § 1: de eadem vinea). 'Nam' (in § 5) respondere coniunctioni *δέ* (sensus postulat disiunctionem) velim animadvertas.

Huic enuntiato praemittit v. pal. participium 'ingrediens', cum coniunctio 'neque' servet vinculum, quo enuntiata graeca inter se coniuncta sunt.

2) Cap. 2, 4.

v. pal.: coepit secum cogitare dicens.
ἐν ἑαυτῷ οὖν ἐλογίσατο λέγων.
v. vulg.: coepit secum **disputare** dicens.

Hoc 'disputare' tanto melius verbum '*λογίζεσθαι*' transfert, cuius hoc loco ut finis et exitus '*λέγειν*' est, ita dicendo efficitur, ut non absit suspicio, quin in v. palatina verbum 'cogitare' male correctum illi successerit. Saepius enim incidimus in verbum 'disputare' (vario sensu: sim. 2, 1 ter; sim. 6, 1, 1; sim. 9, 2, 6 quid intra te disputas = *ἐν σεαυτῷ διαλογίζῃ*; adde etiam sim. 8, 10, 1 propter disputationes, quas inter se habuerunt; vis. 3, 1, 9; 3, 4, 3). Accedit, quod v. vulgatae optimi codices omnibus in similitudinum locis 'disputare' et 'disputationes' offerunt, peiores aut editio princeps, id quod iam Clericus in nova patrum apostolicorum editione (Amstel. 1724 fol.) ad sim. 9, 6, 2 notavit, male 'cogitare' et 'cogitationes' correctum habent. Nonne ergo suspicandum est hoc quoque loco eundem, quem in reliquis invenimus, consensum [3]) versionum fuisse et non interpretem v. palatinae, sed librariolum quendam suo arbitrio mutavisse et scripsisse: 'cogitare'?

3) Cap. 2, 4.

v. pal.: coepit deinde et effodit omnes herbas,
λαβὼν ἔσκαψε τὸν ἀμπελῶνα καὶ πάσας τὰς βοτάνας
v. vulg.: **aggressus** [4]) deinde **fodit** (vineam) [5]) et omnes herbas,
v. pal.: quae in ea erant. Quibus extractis coepit ita vinea illa
τὰς οὔσας ἐν τῷ ἀμπελῶνι ἐξέτιλλε. Καὶ ἐγένετο ὁ ἀμπελὼν ἐκεῖνος
v. vulg.: quae in ea erant, **extraxit atque** ita **evasit** vinea
v. pal.: esse speciosissima ac laeta, nec suffocata ab herbis.
εὐπρεπέστατος καὶ εὐθαλής, μὴ ἔχων βοτάνας πνιγούσας αὐτόν.

---

3) Deest consensus in viss., ubi nulla v. pal. imitatione facta omnes v. vulg. codd. 3, 1, 9 '(re)cogitante', 3, 4, 3 'cogitant' habent.

4) 'Interpres videtur legisse *ἐλθὼν ἔσκαψε*' Hollenb. p. 16.

5) 'vineam' omisisse codices, quos habemus, depravatos verisimile esse existimo.

v. vulg.: speciosissima ac laeta, non suffocata ab herbis.

In hoc loco v. vulgata non solum singula verba habet ad textum graecum accommodatiora sed etiam ambitum quendam verborum. V. palatina autem liberius tractavit exemplar. Atque iterum miramur, quod eius auctor, quamquam tanta utitur in vertendo libertate, tamen confestim alterius v. sequi vestigia videretur. Nam spretis verbis 'atque ita evasit', scilicet ne nimiam textus imitationem prae se ferret, tamen non dubitaret ab v. altera mutuari verba: speciosissima ac laeta, nec suffocata ab herbis. Num putamus eum tali ratione tantaque inconstantia in libro suo perficiendo usum esse? — Reliquum est, ut ad verbum 'nec' nonnulla adnotem. Id enim non vocabulis 'und nicht' sed negatione sola 'nicht' vertendum esse iudico. Saepius enim 'nec' pro 'non' positum esse invenimus; cf. sim. 9, 7, 6 'et nec isti lapides ibunt in structuram' = *καὶ . . οὐκ . .* v. vulg.: 'et . . non'; sim. 4, 5 'quia nec serviunt domino'; v. vulg. 'quia . . . non serviunt domino' (quare in textu graeco lectionem codicis Lipsiensis '*καὶ μηδὲν δουλεύοντες τῷ κυρίῳ*', quam Hilgenfeldius in editionem suam pastoris recepit (ed. II. Lipsiae 1881), praeferendam esse coniecturae Gebhardtii '*καὶ μηδὲ κτλ.*' equidem arbitror); sim. 9, 6, 4 'ita asperi, ut nec cum caeteris convenientes essent' (textus graecus et v. vulgata aliam praebent iuncturam et inter se congruentem: *τραχεῖς καὶ μὴ συμφωνοῦντες* = asperi nec . . . convenientes); sim. 9, 12, 5 'Quomodo . . non potest . ., ita nec in regno dei potest homo aliter intrare'. Etiam in hoc capite, ubi versioni 'auch nicht' locum esse minime nego, 'nec' pro ipsa negationis particula posse duci auctorem habeo v. vulgatae codicem Dresdensem haudquaquam spernendum, cuius haec est scriptura: 'ita in regni (mendose in ed. Hilgenfeldianae apparatu critico pro 'regno'?) dei non potest intrare quis'; sim. 9, 31, 6 'nunquid pastores dicturi sunt a pecoribus se esse vexatos? quod nec creditur illis' = v. v. non credetur illis. Iis locis accedit mand. 10, 3, 3, ubi 'neque' ipsam vim negationis habere videmus: 'mixta autem tristitia cum oratione neque permittit puram et mundam orationem' = *οὐκ ἀφίησι.*

In ea re, quam satis nunc exposuimus, non tamdiu me versaturum fuisse fateor, nisi indicium quoddam suppeditaretur ad patriam huius interpretis investigandam. Nusquam enim ille usus magis inveteravit quam in provincia Africa. Eodem pertinet, quod adverbium 'necdum' saepissime in locum verbi 'nondum' successit; cuius usus exemplum porrigit sim. 9, 31, 1. Sed num hoc indicium aliis firmetur, postea quaeremus; nunc satis est eos, qui legent, ad librum satis utilem relegavisse, quem scripsit Sittl (Die localen Verschiedenheiten der lat. Sprache mit besonderer Berücksichtigung des afrikan. Lateins. Erlangen 1882 p. 98 sqq.); vd. etiam Kühner, ausführliche Grammatik der lat. Sprache. Hannover 1878, II 619.

4) Cap. 2, 10.

v. pal.: ut maiorem gratiam apud dominum perciperet.
ἵνα χάριν μείζονα εὕρῃ παρὰ τῷ δεσπότῃ.
v. vulg.: ut maiorem gratiam apud dominum inveniret.

Cur interpres v. palatinae, si versione altera usus est, verbum 'invenire', a quo alibi non abhorrebat, evitaverit atque commutaverit, quis est, qui intellegat?

5) Cap. 2, 11.

v. pal.: haec cum iterum audisset dominus,
ταῦτα πάντα τὰ γεγονότα ὁ δεσπότης αὐτοῦ ἤκουσε
v. vulg.: haec omnia cum audisset dominus eius,
v. pal.: repletus maximo gaudio convocavit rursus amicos
καὶ πάλιν λίαν ἐχάρη ἐπὶ τῇ πράξει αὐτοῦ. Συγκαλεσάμενος πάλιν τοὺς φίλους
v. vulg.: percepit iterum maximum gaudium et convocatis rursum amicis
v. pal.: et filium, et eis factum servi de cibis,
ὁ δεσπότης καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἀπήγγειλεν αὐτοῖς τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ
v. vulg.: et filio exposuit factum servi sui de cibis suis,
v. pal.: quos ad eum miserat, pertulit. Illi autem multo magis
ἣν ἔπραξεν ἐπὶ τοῖς ἐδέσμασιν αὐτοῦ οἷς ἔλαβεν· οἱ δὲ ἔτι μᾶλλον
v. vulg.: quos ei miserat. Illi itaque tanto magis
v. pal.: rogaverunt patremfamilias, ut eundem servum filio faceret coheredem.
συνευδόκησαν τῷ οἰκοδεσπότῃ [6]), γενέσθαι τὸν δοῦλον συγκληρονόμον τῷ υἱῷ αὐτοῦ.

5) *τῷ οἰκοδεσπότῃ* Hilgenf. cum versionibus latinis legi mavult quam *αὐτῷ* (Gebh.) cum. v. aethiopica.

v. vulg.: assenserunt patrifamiliae, eum servum cohaeredem filio debere fieri.

Hanc particulam totam propterea describendam curavi, quod v. vulgatam non solum singulis verbis (assentire) sed toto verborum circuitu (percepit et convocatis amicis exposuit; servum . . fieri debere) multo magis quam v. palatinam captare textus imaginem uno conspectu demonstrari volui. Haec autem verba 'de cibis, quos . . miserat', quae licentius circumscribunt exemplar, docent atque testificantur quasi sororiam esse in hac quinta similitudine versionum condicionem, ut alteram sine alterius auxilio evasisse non sit putandum. Itaque repraesentantur hoc loco omnia, quibus haec quaestio continetur: versionum propinqua cognatio, liberior v. palatinae habitus, v. vulgatae aut graeca aut latina vincula.

6) Cap. 3, 3.

v. pal.: . . et eris acceptior deo, quam quod eras futurus.
. . καὶ ἔσῃ ἐνδοξότερος παρὰ τῷ θεῷ οὗ ἔμελλες εἶναι.
v. vulg.: et honestior apud dominum eris quam quod eras futurus.

Non respuit v. pal. locutionem 'honoratiores apud dominum' (sim. 9, 29, 3; v. vulg. ipsa quoque exhibet: 'honoratiores'); itaque non puto eam verbum 'honestior' (saepissime pro *ἔνδοξος* usitatum — cf. sim. 8, 1, 2; 3, 3 etc. 'nuntius honestus') aspernaturam fuisse, si alteram versionem habuisset praeviam.

7) Cap. 3, 3.

v. pal.: si ergo mandata dei custodieris et
ἐὰν οὖν φυλάσσων τὰς ἐντολὰς τοῦ θεοῦ
v. vulg.: igitur si custodieris mandata domini,

v. pal.: superposueris nonnihil operibus, gaudebis.
προσθῇς καὶ τὰς λειτουργίας ταύτας, χαρήσῃ, ἐὰν τηρήσῃς αὐτὰς κατὰ τὴν ἐμὴν ἐντολήν.
v. vulg.: 'adieceris etiam has stationes, gaudebis maxime [7]), si secundum mandatum meum servaveris ea.

Interpres v. palatinae, si in vestigiis alterius institisset, nescio an non potuisset tam indefinite dicere: 'superposueris nonnihil' omissa insuper enuntiationis secundariae (*ἐὰν τηρήσῃς κτλ*) versione. Verbum autem 'superponere' dignum est quod

7) Post *χαρήσῃ* v. vulgata '*λίαν*' videtur legisse.

attento animo intueamur. Habet enim in hoc loco non vim usitatam 'darüber = daraufsetzen' neque eam, quam codex Cantabrigiensis [8]) praebet in Matth. 10, 31 et 12, 12 'besser sein' = *διαφέρειν*, sed significat idem, quod apud Tertullianum (de orat. XI): 'dominus amplians legem iram in fratrem homicidio superponit' (= noch dazu setzen, hinzufügen). Ergo 'superponere' pro '*προστιθέναι*' quoniam adhibetur, iterum in Africam ducimur ut patriam interpretis. Eodem spectat decompositum 'superaddere' (= *προστιθέναι*) in vis. 3, 2, 2.

8) Cap. 3, 7.

v. pal.: nichil edes nisi panem et aquam.
μηδὲν γεύσῃ εἰ μὴ ἄρτον καὶ ὕδωρ.
v. vulg.: nihil omnino gustabis nisi panem et aquam.

9) Cap. 3, 7.

v. pal.: computa praetium reliquorum sumptuum . .
συμψηφίσας τὴν ποσότητα τῆς δαπάνης
v. vulg.: computata quantitate cibi

10) Cap. 3, 8.

v. pal.: statio tua, quia sic cum hilaritate gesta est,
ἡ λειτουργία οὕτως ἐργαζομένη καλὴ καὶ ἱλαρά ἐστι.
v. vulg.: haec statio sic gesta bona et hilaris est

v. pal.: et erit accepta domino.
καὶ εὐπρόσδεκτος τῷ κυρίῳ.
v. vulg.: et accepta a domino.

11) Cap. 5, 3.

v. pal.: cibi vero, quos de mensa misit . .
τὰ δὲ ἐδέσματα, ἃ ἔπεμψεν αὐτῷ ἐκ τοῦ δείπνου
v. vulg.: cibi vero, quos de coena misit illi . .

12) Cap. 6, 3.

v. pal.: delictis (?) igitur populi sui passus (?) ipse . .
αὐτὸς οὖν καθαρίσας τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ . .
v. vulg.: deletis igitur peccatis populi sui ipse . .

13) Cap. 6, 3.

v. pal.: data lege, quam a patre audivit.
δοὺς αὐτοῖς τὸν νόμον, ὃν ἔλαβε παρὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ.
v. vulg.: data eis lege, quam a patre acceperat.

Ex his locis cognoscimus ea, quae ante in capite quarto

8) Vide Roenschii librum 'Itala u. Vulgata' p. 381.

observata sunt, non minus rata atque firma esse in reliquis capitibus. Nam quod, quamvis raro id fiat, alterum in altera versione praefertur verbum: in verbis eligendis v. vulgata haud dubie laudem meretur maioris veritatis studii. Omnes autem illi loci valent in duas partes. Nam ut versioni vulgatae tribuunt tamquam condicionem pedisequae, eius scilicet, quae textus graeci vestigia persequi malit, ita v. palatinam, si posterior esset, incuriae accusarent eo maioris, quod, ut verior fieret, satis erat alteram versionem diligentius transscribere. An putas v. palatinam excusari elegantiae sermonis cuiusdam affectatione? Quasi vero elegantius sit, iuncturam 'quam a patre audivit' ponere pro 'quam a patre acceperat'! — At enim in nonnullis locis v. palatina vincit aemulam laude fidei atque veritatis. Fateor; sed moneo, ne magnopere huic rei tribuatur. Nam quod (in cap. 6, 5) verba '*ἐν σεμνότητι καὶ ἁγνείᾳ πορευθεῖσα*' transfert in illa: 'cum modestia et castitate ambulans', cum altera versio hac interpretatione utatur, 'in modestia ambulans et caste', ad syntaxin magis pertinet quam ad sinceram vertentis fidem. Neque aliter res se habet in cap. 2, 5: 'Cum . . in vineam intrasset' proxime accedit ad graecum illud: *εἰσῆλθεν εἰς τὸν ἀμπελῶνα.* At alia est constructio, cum apud alterum interpretem legimus: 'ingressus est vineam'. Ut reliqua examinemus: in v. palatina verbis '*σώζεσθαι*' (cap. 7, 3 *πῶς σωθῇ* =quomodo salvatur?) et '*δικαιοῦσθαι*' (cap. 7, 1 *ἵνα . . δικαιωθῇ* = ut . . salvetur) respondet vocabulum 'salvari', quod maxime abhorret ab usu optimorum scriptorum. Hunc tenet v. vulgata ita, ut illo loco interpretari malit: quemadmodum salutem assequitur, et haec verba: '*ἵνα . . δικαιωθῇ σου ἡ σάρξ*' vocabulis corrupte traditis verti videamus: ut . . . tecum fuisse (?) iudicetur.

Huius tantae textus vitiositatis alio quoque loco admonemur. Nam in cap. 5, 2 quae verba versio palatina accurate reddit: 'vinea autem populus, quem plantavit ipse' (= *αἱ δὲ ἄμπελοι ὁ λαὸς οὗτός ἐστιν, ὃν αὐτὸς ἐφύτευσεν*), eorum talis exstat in v. vulgata forma: 'vinea autem populus est, quem servat ipse'; quod vocabulum 'servat' ex 'sev'rat' id est 'severat' profectum esse Hilgenfeldius optime coniecit [8]).

---

8) Hermae pastor graece ed. Hilgenfeld. Lipsiae 1881 p. 84 ad versum 2.

Ad ea omnia si adieceris in cap. 3, 3 verba v. palatinae 'sin autem aliquid boni feceris super mandatum dei' melius textui (= *ἐκτὸς τῆς ἐντολῆς τοῦ θεοῦ*) respondere quam illa: 'sin autem praeterea quam quod mandavit dominus aliquid boni feceris', vix quidquam grave de singulorum verborum diversitate omissum esse videtur, quare tempus est hanc totam quaestionis particulam definire. Est autem hic finis atque exitus contentionis adhuc factae, ut inferior discedat v. palatina. Quae quamquam aliquotiens adversariam superare videtur, tamen nunquam fere tanto praestat ei, quanto illa, cum maioris fidei laus pro victoria quadam habetur, antecedere solet. Atque v. vulgata illa quidem interdum fit ut quasi in latus paululum deflectere videatur; sed v. palatinam saepius retroversum gressuram fuisse dico, si priorem versionem in eum, quem supra demonstravimus, modum commutaret.

Reliquum est, ut pari ratione de enuntiatorum compositione inquiramus. De ea multa habeo quae dicam; sed quoniam nonnulla iam supra dicta sunt, quae non potuerunt separari a verborum singulorum examine, plura autem in proximo huius disputationis capite dicentur, unum eumque insignem locum notavisse nunc satis habeo. In cap. 6, 1 verba '*Πῶς, φημί, κύριε, οὐ νοῶ*' v. palatina in hunc modum latine verterat: 'et dixi: Quomodo, domine? non intelligo'. Retinuit auctor alterius interpretationis quae invenit verba, respiciens autem interpositum illud *φημί* adiecto verbo 'inquam' haec scripsit: 'et dixi: Quemadmodum (vel Quomodo, quod ed. princeps et textus vulgatus exhibent) **inquam**, domine? non intelligo'. Hunc ergo locum est quod cum simillimo illo loco 'similitudines si **quas** proposueris' (p. 12) comparemus. Sed haec hactenus.

§ 4. Quantum valeat ad textum versionis vulgatae corrigendum comparata versio palatina.

Priusquam similitudinem quintam missam faciamus, ad excursum criticum placet digredi. Nam ut interdum, qualis fuerit textus vers. palatinae, ex posteriore interpretatione concludi potest, ita multo saepius ipsa v. palatina, quippe quae melius nobis tradita sit, idonea esse videtur, unde, qua specie fuerit primum derivatae versionis exemplum aut quomodo emendatione facta in pristinam formam restituenda sit, cognoscamus. Atque

si versionum condicio ea est, qualem adhuc repperimus, ut versionis vulgatae codices multos in genera quaedam distribuamus, id ipsum commodissimum erit quaerere, utrum maiorem an minorem v. palatinae prae se ferant similitudinem. Velut codicis Dresdensis testimonium haudquaquam spernendum, si hanc notam respexeris, optime confirmari videmus. Nec vero modo ad codices v. vulgatae ordinandos, sed etiam ad ipsam versionem emendandam altera interpretatio aliquod praebet adminiculum idque nonnunquam omnibus codicibus praeferendum, si universi, ii quoque, quos O. de Gebhardt ad novam v. vulg. editionem adornandam se primum adhibiturum praedicavit [10]), ex uno eodemque fonte fluxisse videbuntur. Cui fonti quam turbida, ut ita dicam, admixta fuerit aqua, uno exemplo satis comprobatur.

Initio visionis II in enuntiato: cum vero proficiscerer Cumis (v. vulg. p. 8, 2) = *πορευομένου μου εἰς Κούμας* codices pro 'Cumis' legi malunt: 'cum his'. Atque etiam magis depravatus est textus in visionis I. capite primo. Neque enim solum iterum 'cum his' pro 'Cumis' scriptum est, sed etiam, quoniam haec verba praecesserunt: 'hoc solum cogitavi nec ultra aliquid (cogitavi)', librarius quidam pro sua sagacitate mirum quantum textum correxisse sibi videbatur addito substantivo 'cogitationibus'; perrexit igitur scribere: 'post tempus aliquod proficiscens cum his cogitationibus' (v. vulg. p. 2, 14). Quo exemplo discimus, ut recte arti criticae studeamus, acuto quodam cultro nos instruendos esse, quo, si opus sit, verborum quasi tubera amputemus. Nunc rem ipsam aggrediamur.

1) Cap. I.

§ 3. ***Οὐκ οἴδατε, φησί, νηστεύειν τῷ κυρίῳ, οὐδέ ἐστιν νηστεία αὕτη ἡ ἀνωφελὴς ἣν νηστεύετε αὐτῷ.***

v. pal.: Nescitis, inquit, deo ieiunare. Hoc enim ieiunium, quod vos facitis, nihil proficit. — Haec verba alter interpres, ut textum graecum accuratius exprimeret, ita commutavit, ut scriberet (v. vulg. p. 76, 13 et 14): Nescitis, inquit, deo ieiunare; neque est ieiunium hoc, quod vos ieiunatis domino [11]), nihil

10) Oscar v. Gebhardt u. Ad. Harnack, Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur. Band I. Heft 3.

11) Hollenb. p. 15: illud 'deo' (vel 'domino' Hilgenf.) falso repetitum est e superiore loco, ubi et graecus: *τῷ κυρίῳ*.

proficiens. 'Proficiens' enim, non 'proficientes', quod codd. exhibent, scribendum esse puto (= „und nicht ist ein Fasten dies, welches ihr fastet dem Herrn, ein nichts ausrichtendes"). Nam totus quasi contextus orationis postulat, ut de ieiunio ipso, non de ieiunantibus aliquid praedicetur. Ieiunium nihil proficiens idem est, quod postea 'supervacuum' appellatur, cui oppositum est 'ieiunium plenum acceptumque deo'. Itaque ut illud 'nihil proficit' licentius convertentis verbum est pro *ἡ ἀνωφελής*, ita in v. vulgata diligentius nomen attributum attributo 'nihil proficiens' redditur.

In proximis versibus v. palatinae lacuna quaedam est explenda. In § 4 offert cod. Dresd. haec verba: 'ieiunium enim verum ieiunium tale est.' Ea non solum in textum v. vulg. recipienda esse videntur, sed etiam in v. palat. restituenda. Eius enim librarium a primo illo 'ieiunium' propter homoeoteleuton ad alterum 'ieiunium' aberravisse puto. Itaque falso scripsit: 'Ieiunium tale est'. Fortasse in textu graeco exstabant haec verba: *νήστευσον δὲ τῷ ὄντι* (cod. Lips.: *τῷ θεῷ*) *νηστείαν τοιαύτην*.

Item in § 5, si v. vulgatam respexeris, participia 'custodiens' et 'ingrediens' cum verbo praecedente coniungi malueris. Scribendum igitur: 'mente pura servi domino, custodiens mandata eius praeceptisque eius ingrediens. Nullum admiseris desiderium nocens animae tuae.'

Nolo omittere, quantam (in extrema paragrapho 5) v. palatinae auctor in se admissurus fuerit neglegentiam, si altera interpretatione usus verba: 'haec si feceris, ieiunium magnum consummabis acceptumque domino' (vel 'deo' — cod. Vat.) repugnante textu graeco ita convertisset, ut neglecto adiectivo 'magnum' (= *μεγάλην*) scriberet: 'quae cum sic feceris, consummabis ieiunium acceptum deo.'

2) Cap. II.

Initio capitis secundi v. vulg. textus librariorum incuria atque licentia male depravatus est. Nam pro 'in quadam parte fundi eius vineam posuit. Afuturus deinde peregre elegit servum' ita scripserunt, ut immemores saepius particulam 'deinde' in secundo enuntiationis loco poni (cf. aggressus deinde v. vulg. p. 78, 1; post dies deinde paucos v. vulg. p. 78, 18) illud 'afuturus', ut 'deinde' primum locum occuparet, cum

verbis proximis coniungerent atque quoniam quid sibi vellet 'vineam posuit afuturus' difficile erat intellectu, alii 'affuturis', alii 'a futuris', alii 'successoribus' (!) scribi mallent. Neque tantum mendum solum manere potuit. Nam verba 'deinde peregre' participium aliquod desideraverunt, cui adiungerentur; quare emendatores illi, quoniam post paucos versus legerunt: 'profectus est peregre', hoc quoque loco, quamvis ista correctio sensu careret, non potuerunt non 'profectus' interponere [12]). Illud 'afuturus peregre', quod restituendum esse censeo, hic interpres ex altera versione deprompsisse mihi videtur. Et quod illis verbis alium locum assignavit, eius rei textum graecum, ut saepissime, causam fuisse arbitror; cui haud scio an haec verba inserenda sint: *ὕστερον δὲ πορευσόμενος εἰς ἀποδημίαν* (*καὶ ἐκλεξάμενος δοῦλόν τινα κτλ*) [13]).

3) Cap. III.

In hoc capite intricatus ille locus, qui est de ieiunio iusto, facile explicatur, si id, quod iam saepe dictum est, memoria teneas, versionem vulgatam, cum deflexerit a v. palatina, eandem textui graeco studere quam accuratissime exprimendo. Id cum multis exemplis iisque quindecim ex capite primo, plus viginti ex altero capite petitis comprobatur tum ex hoc ipso orationis contextu apparet. Nam in § 7 graecum illud: *οὕτω δὲ ποιήσεις· συντελέσας τὰ* (*προ*)*γεγραμμένα* commutata altera versione ad verbum redduntur in hunc modum: 'Sic ergo facies. Peractis, quae supra scripta sunt', et quae sequuntur, optime ad textum graecum accommodantur: 'illo die, quo ieiunabis, nihil omnino [14]) gustabis nisi panem et aquam et computata quantitate cibi ceteri [15]), quem editurus eras, sumptum diei illius, quem facturus eras, repones et dabis viduae et [16]) pupillo aut

12) Hilgenfeldii textus haec praebet (p. 77, 8): vineam posuit affuturis. Deinde peregre profectus elegit servum . . .

13) Cf. p. 7 libelli, qui inscribitur: 'Pastorem Hermae emendavit, indicem verborum addidit Guil. Hollenberg' (Berol. 1868): 'Fortasse tale quid excidit: *ὕστερον δὲ εἰς ἀποδημίαν πορευσόμενος καί.*'

14) Hoc deest in nostro exemplari graeco.

15) Apud Hilgenfeldium scriptum (p. 80, 9): 'cibi, ceteris quem editurus eras', quibus in verbis se codicem Dresd. secutum esse fatetur.

16) Scripturam cod. Vat. 'et' Dresselius (ed. altera Lips. 1863 p. 492, 34) praetulit suo iure, quoniam versione pal. confirmatur.

inopi'. Variae codicum scripturae unde profectae sint, facile est dictu. Nam 'editurus eras' = *ἔμελλες τρώγειν* adeo abhorrebat ab usu cotidiano, ut librarii aut 'comesturus eras' in eius locum substituendum esse putarent aut verbo 'diebus' interiecto 'ceteris diebus comesturus eras' scribi mallent aut 'editurus' illud ab altero verbo 'edere' = herausgeben repetendum esse rati substantivum 'sumptum' pro ipsa edenda re haberi vellent. Sublatis autem iis, quae omnia haud scio an molimina rem explicantium significent, si verba, quae supra scripsi, restitueris, quam prope absint a textu graeco [17]), facile intelleges, cuius textus imaginem vers. palatinae auctor magis quam pro secundo interprete evitavisse videtur (v. pal. p. 149, 1: 'et computa praetium reliquorum sumptuum quod erogaturus eras et inde da' etc.).

At enim grammatici tacent de participio futuri 'editurus' = einer, der im Begriffe ist zu essen! Non possunt omnia docere. Similia autem eos tradere statim videbimus. Praeterco supinum 'bibitum', alia eiusmodi [18]), quamquam in ore confabulantium optime inter se respondent: 'editurus et bibiturus sum' [19]). Nonne 'comesturus', quod librarii illi praetulerunt, cui 'estus' lexicographi addunt (cf. Georges I^7 2181 s. v. edere), eodem pertinet? Nam ut 'postus' pro positus, 'posturus' pro 'positurus' (Neue II^2 556 et 589) dici potuit, ita vocali 'i' eiecta ex 'comediturus' comedturus, ex hac consonantium d et t collisione ut saepissime 'comesturus' natum esse videtur. Neque deest ratio formationis illius 'editurus'. Quotiens homines plebei specie atque similitudine inducti nominum et verborum diversas formas turbaverunt et confuderunt! Quid quod multa verba in — dere cadentia, quasi cum verbo 'dare' composita essent, in hunc modum flexerunt [20]). Itaque 'editum' penitus memoriae

17) Ibi fortasse praestat scribere: *ἐκ τῶν λοιπῶν ἐδεσμάτων σου κτλ* (v. vulg.: cibi ceteri, v. pal.: reliquorum sumptuum).

18) Fr. Neue, Formenlehre der lat. Sprache II^2 p. 560.

19) Accedit ad eos, quos Neue memorat, scriptores evangelii palatini auctor (ed. a Tischendorfio. Lips. 1847) p. 47^a 1: potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?

20) Multa exempla ('ascendiderat' evang. pal. 125^a 17 etc.) praebet Hugo Schuchardt (der Vokalismus des Vulgärlateins 3 Bde. 1866—68 I 35 et III 10).

impressum utriusque verbi 'edere' supinum esse homines litterarum rudes opinati sunt. Praesto est aliud exemplum satis illustre. In vers. pal. et vulg. legimus (mand. 12, 1, 1): odies omne malum desiderium = μισήσεις. Roenschius (It. p. 281) plurimis exemplis docuit frequentissimum in sermone vulgari fuisse hunc usum, ut 'odisse' pro verbo quartae coniugationis haberetur eiusque formae secundum illam similitudinem efficerentur. Eius rei quam causam fuisse censemus? Equidem puto, ut aurum et ornamentum tam similem primae vocalis pronuntiationem prae se tulerunt, ut assonatio quaedam his vocabulis fieret [21]), ita inter 'audies' et 'odies', 'auditur' et 'oditur' apud eos, qui sermone plebeio utebantur, nullum fuisse discrimen verbumque 'odisse' mutuatum esse formas verbi 'audire'. Quae formarum congruentia saepe impedimento erat ad talia verba linguis romanicis tradenda. Ita pro 'edere' iam in sermone vulgari 'manducare' succedere coepit, unde Francogalli 'manger' duxerunt; et pro 'odisse' saepissime 'odio habere' positum esse, scilicet ut illa aequalitas pronuntiandi evitaretur, quicunque antiquas librorum sacrorum versiones vulgatamque perlegit, haud ignorat [22]).

Sed hac digressione finita, qua, ut mirum illud 'editurus' defenderetur ab dubitantium vocibus, opus esse videbatur, iam, quod in capite tertio reliquum est, expediemus. In extrema paragrapho septima versio palatina emendatione quadam egere videtur. Nam in his verbis 'pro hoc opere vadet ad dominum oratio tua', id quod totus contextus postulat, sua, non tua legendum esse puto. Item in vis. 1, 1, 9 et vis. 3, 13, 1 pronomen 'suae' et 'sua' eum locum occupavit, quem 'eorum' et 'eius' tenere exspectaveris [23]). Eodem autem loco formula: vadet ad dominum in dubium vocari potest. Usus enim verbi 'vadere' (ter in visionibus et bis in simil. = ὑπάγειν: vis. 3, 5, 1 et 3; 4, 2, 5; simil. 8, 11, 1; 9, 10, 1; semel in mandatis

21) Ed. Wölfflin, die allitterierenden Verbindungen der lat. Sprache, München 1881 p. 4 et 48.

22) Velut in matth. 24, 10 evang. palat. exhibet: 'et odient invicem', cod. Veron., Corbei., Brix., Rehdig., Fuld.: 'et odio habebunt invicem', cod. Vercell.: 'et odio se habebunt invicem'.

23) Alia capiuntur exempla ex vis. 3, 7, 6 (peccatorum suorum), simil. 7, 4 (clementia sua); simil. 8, 3, 5 (poenitentiamque suam = legis) etc.

= ἔρχεσθαι: mand. 12, 5, 4) rarior est quam ut hoc loco quaeratur. Itaque comparatis similibus locis simil. 2, 5 'adeundi ad deum vim' et simil. 2, 8 'adeuntes orationibus suis ad dominum' recte pro verbis illis substituemus: 'adeat ad dominum', qui coniunctivus optime congruit cum proximis verbis: 'ut (haec Gebhardtii coniectura pro 'et' mihi probatur) ... satient animam suam'. Praeterea versionis vulg. accedit testimonium, quae similiter praebet: 'pro te adeat (ad?) dominum (deum) oratio eius'.

4] Cap. V et VI.

Venio ad caput quintum et sextum, quibus capitibus quid sibi velit servi fidelis similitudo (cap. II) explicatur. Haec expositio quo maiorem vim habet ad christologiam quam vocant pastoris Hermae cognoscendam, eo facilius a librariis theologizantibus periculum erat ne corrumperetur, et est mirum quantum depravata in v. vulg. Ac primum quidem additamentis quibusdam male aucta est, quae ut minime sententiarum ordini conveniunt, ita a reliquis testibus non confirmantur. Velut in § 2 'demonstratur esse' inutiliter, quod antea verbum 'significat' dilucide notavit, repetere videtur. Quod sequuntur verba: 'filius autem spiritus sanctus est', eodem pertinet. Id enuntiatum valde miror cur quamquam sola vers. vulgatae auctoritate atque testimonio nititur, in sermonem graecum translatum ab editoribus textui adiungatur. Id plura impediunt, quam ut reliqui omnes testes (cod. Lips., vers. pal., vers. aethiopica, ed. princeps) accusari possint hanc sententiam ut heterodoxam omisisse. An versio vulg. pro certa habenda est accusatrice? Videas velim, quam inepte illud enuntiatum in hoc loco ponatur. Servi fidelis similitudo ita explicatur, ut in expositione idem, qui in similitudine, ordo observetur. Ibi autem filii mentio non fit nisi una cum amicis (cap. II, 6 et 11); ille et hi, quos dominus in consilium adhibere solet, tam apte cohaerent, ut dissolvi nullo modo queant. At illo loco si quid esset filius exponeretur, maior ei vis vindicaretur quam pro ipsa similitudine. In ea enim 'servus' principem tenet locum; de servo dicendum est, quoniam et fundi et domini eius interpretatione absoluta de eo dici potest. Itaque enuntiatum illud aut ex simil. 9, 1, 1 aut aliunde ortum in marginem relegandum esse censeo,

non in textum recipiendum. Sed ipsa res, quippe quae theologorum propria sit, h. l. non potest enucleari.

Atque ut veniamus ad alia eaque manifestiora v. vulgatae menda, sextum caput intueamur. In eo si v. palatinae accuratam comparationem fecerimus, quam maximum inde capiemus fructum.

In § 3 'eis demonstravit' scribendum esse opinor pro 'eisdem monstravit' (v. pal.: populo demonstravit).

Qui sequuntur versus (Quare autem dominus in consilio adhibuerit filium de haereditate et nuncios honestos? quia nuncius audit —), ita mutati sunt, ut nemo eorum pristinam formam agnoscere possit. Qui quemadmodum corrigendi sint, his utimur indiciis. 'Adhibuerit' interrogationem indirectam significare videtur, quae regitur verbo 'audit' vel 'audi'. Praeterea cod. Bodleianus et Lambethanus, testes graves, praebent 'honestosque' (Hilgenf. v. vulg. p. 84, 15 et p. 168, 24), quo fit, ut verba 'et nuncios' posteriore tempore addita esse appareat. 'Honestos quia' nihil aliud est nisi 'honestosque'. Porro si ex 'nuncius' nuncios et ex 'audit', quod cum subiecto illo falso coniunctum est, audi restitueris, hic textus correctior quam prope accedat ad v. pal., iam intelleges ('Quare autem dominus in consilium adhibuit filium de hereditate honestosque nuntios, audi' v. pal.). Idem Grabium coniecisse, id quod Dresselius (patr. apost. opp. ed. II p. 496, not. 7) docet, propterea moneo, quod in speciem audacius quam verius corrigentis venire nolo. An putas magis parcendum esse traditae qualicunque scripturae? Equidem, quo longius processi, eo minus temperandum esse intellexi tantae librariorum libidini.

Atque in proximis enuntiatis quanta sit codicum dissensio et perturbatio, facile cognoscitur. Adeo obscurata est vera scriptio, ut nisi vers. pal. lucem quandam adferret, in tantis quasi tenebris desperandum esset rectam investigari posse lectionem. Sequuntur haec: 'Illum spiritum sanctum, qui creatus est omnium primus (hoc verbo, non proximis vocabulis in utraque versione enuntiatum relativum finitur; nam de spiritu sancto idem praedicatur, quod in cap. V, 3 de nuntiis sanctis, quos primos creavit, praeterquam quod principem inter eos locum tenet), in corpore, in quo habitaret, deus collocavit'. Haec cod. Vatic. et Dresd. ('inhabitaret') lectio si in textum recipitur,

enuntiatum totum congruit cum v. pal., quae id proprium habet, quod verbo 'fundavit' pro 'collocavit' uti maluit. Recte autem 'in corpore' ad enuntiati primarii verbum referri inde patet, quod in extremo capite scriptum videmus: (corpus), in quo habitandi gratia 'conlocatus fuisset' (v. pal.; 'constitutus fuerat' cod. Dresd.) spiritus sanctus. Ad hoc 'in corpore collocavit' accedit alterum verbum. Ut incarnatum esse spiritum sanctum, id est, in corpore collocatum, in quo habitaret, iam dictum est, ita, quo modo incarnatus sit, nunc erit docendum. Neque vero fieri potest, ut v. pal. non adiuvante turbido manuscriptorum quasi speculo vera v. vulg. lineamenta agnoscamus.

V. pal. verbis 'atque statuit (in)[24]) electum corpus, quod ei placuit', si quaeras, quae in altera v. respondeant, de enuntiati clausula non dubitatur (cod. Dresd. et Lambeth.: (in) corpore, quod ei videbatur); unde ordiendum sit, quaeritur. Nam verborum illorum loco, sive quod 'in corpore' illud bis positum causa fuit magnae perturbationis, sive quod aliunde error fluxit, aenigmatis instar exstant haec vocabula 'scilicet intellectus' (cod. Vat.) vel 'intellectus scilicet' (cod. Lambeth.; Dresd. 'intellectus s.'). O tantam sensus depravationem! 'Intellectus' pro enuntiati subiecto si haberetur (atque habendum est, si haec vera est lectio), quam vim subfuturam esse putas isti constructioni? Nunc autem per metamorphosin quandam, quae Ovidianis illis si non minor at certe credibilior est, 'scilicet intellectus' emanasse videtur ex vocabulis versioni palatinae subsimilibus: 'statuit in delecto' (v. pal.: 'statuit (in) electum'). Quibus si copulam atque amissam addideris, ita fere enuntiatum restitui potest: 'atque statuit in delecto corpore, quod ei videbatur'.

Incarnatum esse spiritum sanctum supra demonstratum est. Ad hunc autem modum incarnatus est, ut deus spiritum in corpore electo, quod ei videbatur, collocaret. Quod corpus quomodo spiritui sancto paruerit atque serviverit aut ad quem finem pervenerit spiritus sancti cum electo corpore consuetudo, reliquum est ut exponatur.

Consentiunt inter se versiones, cum haec praebent: 'Hoc ergo corpus, in quo deductus est spiritus sanctus', atque paulu-

---

24) in omisit codex, recte addidit Gebhardtius.

lum altera distat ab altera, cum v. palatinae oratio ita continuatur, ut legamus: 'paruit eidem spiritui recte cum modestia et castitate ambulans nec omnino eundem spiritum maculavit', v. vulgatae: 'servivit ei spiritui recte in modestia ambulans et caste neque omnino maculavit spiritum illum', quibus proximis verbis accuratissime graeca illa redduntur servato ipso ordine eorum: μηδὲν (Hilgenf. μηδὲ) ὅλως μιάνασα τὸ πνεῦμα.

Is qui sequitur verborum ambitus a librariis v. vulgatae manuscriptorum hunc in modum iam non novum aut inauditum deformatus atque corruptus est: 'Cum igitur corpus hoc paruisset omni tempore recte atque caste ac laborasset cum eo (= συγκοπιάσασαν τῷ πνεύματι, quae verba in v. pal. omittuntur) nec succubuisset in omni opere fatigatum corpus illud ...' In eo deflecto ab editione Hilgenfeldiana, quod 'corpus illud' (= 'idem corpus', quod semel invenitur in v. pal., quae ut mand. 11, 18 substantivum 'caelus', ita hoc loco 'corpus' generis masculini esse vult pergitque illic scribere: 'si potes illum contingere', hic: fatigatus, conservatus etc.) alterum enuntiati secundarii subiectum esse neque cum primario enuntiato coniungendum esse arbitror. Nondum enim expressa atque absoluta est tota scriptoris sententia. Quid oppositum sit illi 'nec succubuisset', ut suo iure quaeritur, ita ex v. pal. apparet ('sed viriliter et fortiter ab eodem conservatus esset'). Itaque pro verbis male mutilatis 'serviliter conversatum est sed fortiter cum spiritu sancto' scribi malo: 'sed viriliter conversatum esset et fortiter cum spiritu sancto'. Hoc 'conversatum' melius quam v. palatinae 'conservatus' et textui graeco respondet (ἰσχυρῶς καὶ ἀνδρείως ἀναστραφεῖσαν μετὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου) et sententiarum ordini. Quid in se habeat illud 'laborare cum spiritu sancto', dupliciter explicatur et negative: corpus non succubuisse, quamvis fatigaretur in omni opere, et affirmative: conversatum esse viriliter et fortiter; quod utrumque et sustinuit et confecit cum spiritu sancto. Illo enim utebatur adiutore neque vero desiit ipsum ita ut dictum est agere. Itaque male quadrat 'conservatus' illud v. palatinae. Non potest enuntiatum secundarium passive finiri. Nam illo, quid fecerit corpus, demonstratur; quid passum sit aut quam mercedem virtutis suae acceperit, enuntiato primario discimus. Conciliavit autem facinore suo benevolentiam dei, vel 'comprobatum deo receptum est'.

Deum et comprobavisse et recepisse corpus illud docet hic scriptor. Ac primum quamobrem comprobaverit, instituimur. 'Placuit enim deo huius modi potens (cod. Dresd.) vel huiuscemodi poteris (cod. Vat.) cursus'. Iam consuevimus in his codicibus nil admirari; neque hoc loco miramur, quod in illis verbis tenuia vestigia invenimus verae scripturae: 'huiusce (= huius) corporis', quam lectionem v. pal. praebet. Quod pergit interpres scribere: 'quia maculatus non esset', 'maculatus' eodem pertinet, quo v. palatinae 'fatigatus' etc. cum masculino 'corpus' congruenter positum. Item cod. Vat. non respuit huiusmodi coniunctionem 'fatigatus corpus'. In extrema autem huius capitis particula, ubi corpus receptum esse a deo exponitur, haec verba: 'accipiet enim mercedem omne', quae neque textu graeco neque altera versione confirmantur, falso addita esse censeo. Facile enim 'huiuscemodi' illud ansam quandam dedit ad id, quod de hoc uno corpore dictum est, de omnibus praedicandum. At proximo capite, quomodo id, quod iam satis demonstratum est, in alia corpora transferendum sit, multis verbis ostenditur: hoc caput, ad cuius finem pervenimus, totum est de servo illo huius similitudinis eiusque corpore omnium purissimo; cuius expositionis textum correctiorem non supervacaneum esse puto continua verborum serie ad hunc modum repetere:

'Quare autem dominus in consilio adhibuerit filium de haereditate honestosque nuncios, audi. 5. Illum spiritum sanctum, qui creatus est omnium primus, in corpore, in quo habitaret, deus collocavit atque statuit in delecto corpore, quod ei videbatur. Hoc ergo corpus, in quo deductus est spiritus sanctus, servivit ei spiritui recte in modestia ambulans et caste neque omnino maculavit spiritum illum. 6. Cum igitur corpus hoc paruisset omni tempore recte atque caste ac laborasset cum eo nec succubuisset in omni opere fatigatum corpus illud, sed viriliter conversatum esset et fortiter cum spiritu sancto, comprobatum deo receptum est. Placuit enim deo huiusce corporis cursus, quia maculatum non esset in terra possidens in se spiritum sanctum. 7. In consilio advocavit ergo filium et nuncios honestos, ut et huic scilicet corpori, quod servisset spiritui sancto sine querela, locus aliquis consistendi daretur, ne videretur mercedem servitutis suae perdidisse corpus purum ac sine macula repertum, in quo habitandi gratia constitutus fuerat spiritus sanctus. 8. Habes et huius simili-

tudinis exsolutionem'. Hic est textus Hilgenfeldiano aliquanto, ni fallor, correctior. Qui ut documento est inter versiones hic eandem propinquitatis necessitudinisque cuiusdam rationem intercedere, quam in capite quarto repperimus, ita una cum v. palatina ab exemplari graeco ortus esse videtur nonnullis locis longe diverso ab eo, quod nobis adhuc permansit.

Hae sunt quattuor quasi theses, quas nunc argumentis satis multis atque gravibus veras esse docuisse mihi videor: prima alterum interpretem alterius libello usum esse (p. 8); altera utramque versionem ex ipso textu graeco fluxisse ad eumque referendum esse (p. 9); tertia auctorem vers. vulgatae multo magis quam alterum id spectavisse, ut accuratissime interpretaretur et verbum pro verbo redderet (p. 12); quarta versionem pal. priorem, vulgatam posteriorem putandam esse (p. 12).

Eo autem progressi primae huius disputationis particulae finem facere poterimus. Iam sunt statutae theses primariae; quas quae sequantur, nunc quaerendum est. Quae quaestio (de locis et temporibus versionum; de versionis palatinae Africitate; de visionum I—IV discrimine sermonis etc.) quoniam actorum seminarii philologici Erlangensis volumine tertio (p. 428 sqq.) continetur, ad illum librum eos, qui benigne legerunt, oramus ut nobis liceat relegare.

Haec appendix pertinet ad p. 7 etc. Ibi vide de scripturae discrimine; de asteriscis p. 12 not. 1; de litteris in textu graeco diductis p. 14 not. 2.

Similitudinis quintae caput quartum.

Versio palatina.

1. Itaque deprecatus sum illum, ut mihi explanaret similitudinem illam de fundo dominoque et vinea et servo, qui depalaverat vineam herbasque extraxerat de **eadem** vinea, et filio amicisque, quos in consilio adhibuerat. Intellexi enim illud esse similitudinem.

2. **Et** ait mihi: Audax valde es ad interrogandum. Nihil omnino debebis [1]) interrogare; nam si oportuerit demonstrari tibi, demonstrabitur. Domine, quaecunque ostenderis mihi, si non demonstraveris, frustra erunt, quia non * **intelligo quidnam sint**, et similitudines quas **mihi** proposueris, frustra audiero eas.

3. **Et** dixit mihi: Quicunque dei servus est dominumque in praecordiis habet, petit ab eo intellectu(m) et accipit omnemque similitudinem solvit, et intelligit verba domini, * **quae dicuntur in similitudinibus**. Quicunque vero inertes sunt pigrique ad orandum, illi dubitant petere a domino.

4. Cum sit **autem** dominus profusae bonitatis, omnibus a se petentibus sine intermissione tribuet. Tu vero, qui confirmatus ab illo venerabili nuntio accepisti orationem tam potentem, cum piger non sis, cur non a domino intellectum petis et accipis?

5. Tunc dixi illi: * **Domine**, cum praesentem te habeam, necesse est ut a te petam teque interrogem; tu enim mihi ostendis omnia et loqueris tu **mecum**. Nam si sine te ea viderem, tunc dominum rogarem, ut demonstraret mihi.

Textus graecus.

1. *Ἐδεήθην αὐτοῦ πολλὰ ἵνα μοι δηλώσῃ τὴν παραβολὴν τοῦ ἀγροῦ καὶ τοῦ δεσπότου καὶ τοῦ ἀμπελῶνος καὶ τοῦ δούλου τοῦ χαρακώσαντος τὸν ἀμπελῶνα καὶ τῶν χαράκων καὶ τῶν βοτανῶν τῶν ἐκτετιλμένων ἐκ τοῦ ἀμπελῶνος καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τῶν φίλων τῶν συμβούλων. Συνῆκα γὰρ ὅτι παραβολή τίς ἐστι ταῦτα πάντα.*

2. *Ὁ δὲ ἀποκριθείς μοι εἶπεν· Αὐθάδης εἶ λίαν εἰς τὸ ἐπερωτᾶν. Οὐκ ὀφείλεις, φησίν, ἐπερωτᾶν οὐδὲν ὅλως· ἐὰν γάρ σοι δέῃ δηλωθῆναι, δηλωθήσεται. Λέγω αὐτῷ· Κύριε, ὅσα ἄν μοι δείξῃς καὶ μὴ δηλώσῃς, μάτην ἔσομαι ἑωρακὼς αὐτὰ μὴ νοῶν τί ἐστιν· ὡσαύτως καὶ ἐάν μοι παραβολὰς λαλήσῃς καὶ μὴ ἐπιλύσῃς μοι αὐτάς, εἰς μάτην ἔσομαι ἀκηκοώς τι παρὰ σοῦ.*

3. *Ὁ δὲ πάλιν ἀπεκρίθη μοι λέγων· Ὃς ἄν, φησί, δοῦλος ᾖ τοῦ θεοῦ καὶ ἔχῃ τὸν κύριον ἑαυτοῦ ἐν τῇ καρδίᾳ, αἰτεῖται παρ' αὐτοῦ σύνεσιν καὶ λαμβάνει καὶ πᾶσαν παραβολὴν ἐπιλύει, καὶ γνωστὰ αὐτῷ γίνονται τὰ ῥήματα τοῦ κυρίου τὰ λεγόμενα διὰ παραβολῶν· ὅσοι δὲ βληχροί εἰσι καὶ ἀργοὶ πρὸς τὴν ἔντευξιν, ἐκεῖνοι διστάζουσιν αἰτεῖσθαι παρὰ τοῦ κυρίου.*

4. *Ὁ δὲ κύριος πολυεύσπλαγχνός ἐστι καὶ πᾶσι τοῖς αἰτουμένοις παρ' αὐτοῦ ἀδιαλείπτως δίδωσι. Σὺ δὲ ἐνδεδυναμωμένος ὑπὸ τοῦ ἁγίου ἀγγέλου καὶ εἰληφὼς παρ' αὐτοῦ τοιαύτην ἔντευξιν καὶ μὴ ὢν ἀργός, διὰ τί οὐκ αἰτῇ παρὰ τοῦ κυρίου σύνεσιν καὶ λαμβάνεις παρ' αὐτοῦ;*

5. *Λέγω αὐτῷ· Κύριε, ἐγὼ ἔχων σὲ μεθ' ἑαυτοῦ ἀνάγκην ἔχω σὲ αἰτεῖσθαι καὶ σὲ ἐπερωτᾶν· σὺ γάρ μοι δεικνύεις πάντα καὶ λαλεῖς μετ' ἐμοῦ· εἰ δὲ ἄτερ σοῦ ἔβλεπον ἢ ἤκουον αὐτά, ἠρώτων ἂν τὸν κύριον, ἵνα μοι δηλώσῃ.* [7])

Versio vulgata.

1. Et deprecatus sum eum, ut mihi explanaret illam similitudinem de fundo et domino ac vinea et servo, qui depalaverat vineam, * **et herbis, quae extractae de vinea erant**, et de filio et de amicis, quos in consilio adhibuerat. Intellexi enim illud esse similitudinem.

2. Ait mihi: Valde audax es ad interrogandum. Nihil enim (corrupte pro 'omnino'?) debes interrogare; nam si oportuerit demonstrari, demonstrabitur tibi. **Dico** ei: Domine, quaecunque ostenderis mihi * **nec** demonstraveris, frustra * **videro** [2]) illa, si non intellexero, quidnam fuerint [3]), et similitudines quas proposueris * **et non absolveris**, frustra audiero [4]) eas.

3. * **Respondit mihi rursus dicens**: Quicunque dei servus est dominumque habet in praecordiis * **suis**, petit ab eo intellectum et accipit et omnem similitudinem * exolvit et intelligit verba domini, quae quaestionem ferunt. Quicunque vero inertes sunt et pigri ad orandum, illi dubitant petere a domino.

4. Cum sit dominus profundae bonitatis, petentibus a se cunctis sine intermissione tribuet [5]). Tu vero, qui confirmatus * **es** ab illo venerabili nuncio * **et** accepisti orationem tam potentem, cum piger non sis, **iam cur** a domino intellectum non petis et accipis?

5. * **Dico** ei: Cum te praesentem habeam, necesse est ut a te petam et interrogem; tu enim omnia mihi ostendis et loqueris mihi sodes [6]). Nam si sine te ea viderem * **vel audirem**, tunc dominum rogarem, ut demonstraret mihi.

JUN 9 1921
COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
1010665544